



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

Memoria Crvcifixi Berythensis. 9. Novembr.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

bus, ut affeclas diaboli: pié & sapienter age, & noli
 desipere in gratiam stultorum. An existimas, te pos-
 se effugere, quod non effugit augustissima Trinitas?
 loquantur illi, ac sentiant de te, quidquid voluerint.
 Quid ad te? in bonam partem accipe. O *sancta Trini-
 tas? nec tu stultorum linguas prorsus effugisti.* Greg. Naz.

MEMORIA CRUCI- FIXI BERYTHENSIS,

9. Novembr.

*Rursum crucifigentes sibimetipsis fi-
 lium Dei, & ostentui habentes.*

S. Paul ad Hebr. c. 6.

Nimirum facilè Christo cum Carpo ho-
 die credemus, velle illum iteratò pro
 nobis mori, si modo vivere nos velimus. Be-
 rytus civitas est Tyro & Sidoni contermina.
 In hac sub annum DCCLXV. habitare inter
 spinas lilia, hoc est inter Hebræos Christianos
 vidisses. Et fortè Christianus ædibus suis Ju-
 dæo cessit alioque migravit, oblitus secum
 ferre nobilissimam & ab omnibus retro mayo-
 ribus acceptam hæreditatem Christi imagi-
 nem Cruci suffixam, opus ab artifice manu
 ipsius Nicodemi commendandum. Spectastes
 in nepotibus suis antiquos Servatoris hostes,
 &

& non jam odii simulachrum sed ipsissimum veteris Impietatis bellum. Iterum Christus vincula fert, & captivus triumphatur, agitur, raptatur. Iterum sputa volant, alapæ insonant, flagra crepant, spinæ se armant, clavi mallei-que intonant. Iterum fel & felle suo acerbior lingua lævit. Denique (ô coeli patientiam! iterum pectus ferro impio petitur; atque, ut ne aberrasse existimes, iterum fons geminus sanguinis & undæ fluit. Hic omnium morborum medicus febres pellere, lepram abstergere, claudos in pedes erigere, ipsis denique sceleris auctoribus oculos ita aperire, ut tam cæci nuper, Fidei nunc lumen aspicerent, miraculo hoc gratiore, quòd urbs tot jam Longinos, quot paulò ante judæos numeraret.

Ex actis Nicena Sin. II,

MEDITATIO.

Peccatores iterum crucifigunt Jesum Christum.

1. **J**esus in Calvario monte semel passus est pro peccatis meis. Ita est, Domine, mea ipsius peccata te in crucem egerunt. Quid Judam, quid Caipham, quid Pilatum, quid Judæos accuso? cum ego ipse sceleribus meis Dominum Jesum occiderim. Ah! Domine, peccavi, & peccatorum meorum penam luis? Videre te non possum in cruce morientem, quin irascar

car pecc
gemitib
2. N
mè, qu
me mi?
esse? Q
co, lib
actant
3. F
Christe
runt,
repugn
ipse vo
di pec
sus: c
in qua
S.
Ex
lo
e
t
M
R
car

car peccatis meis; quin te amem, quin lachrymis, & gemitibus dolorem meum palam faciam.

2. Non semel, quidem te in crucem egi sed sapissimè, quoties nimirum lethale peccatum admisi. Animi mihi? parùmne est, Jesum semel tam gravia passum esse? Quid? vis eum rursus crucifigere ut servias amico, libidini, voluptati? O crudelis voluptas, quæ tot tantos dolores affert Christo Jesu?

3. Hoc ultimum crucis genus primo gravius est, & Christo injuriosius, quòd ab iis qui rectè illum nòrunt, sapiùs in omni terrarum orbe, & ipsi maximè repugnanti infligatur: olim semel oblatus est, quia ipse voluit, nunc frequenter invitus affigitur cruci. Audi peccator? quid in intimo corde exprobrat tibi Jesus: *Cur me graviore criminum tuorum cruci quàm in illa, in qua quondam pependeram, affixisti?* Aug.

S. THEOCTISTA Virgo.

10. Novembr.

Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Christus

Matth. cap. 13.

Rectiùs hoc die Lesbos Theoctistam, quam olim Sappho suam laudat. *Apage*

W

deci-